

II n  
6920

DISSE R T A T I O  
 DE MODO PROBABI LIORI  
 Q U O  
**PRIMÆ IN AMERICAM**  
 S E P T E N T R I O N A L E M  
 IMMIGRATIONES SUNT FACTÆ.

---

Q U A M  
 S U B A U S P I C I I S D I V I N I N U M I N I S  
 P R A E S I D E

**OTTONE C H R I S T I A N O**  
**D E L O H E N S C H I O L D ,**

P H I L O S O P H . D O C T O R E E T P R O F E S S . P U B L . O R D I N A R .  
 F A C U L T A T I S P H I L O S O P H . h . t . D E C A N O  
 P R O S U M M I S I N P H I L O S O P H I A H O N O R I B U S  
 R I T E C A P E S S E N D I S

I N A U D I T O R I O P H I L O S O P H O R U M Æ S T I V O  
 D I E      S E P T . M D C C L I V .

P L A C I D Æ E R U D I T O R U M D I S Q U I S I T I O N I S U B M I T T U N T

**F R I D E R I C U S M A R T I N U S N E U F F E R ,**  
 B A C K N A N G E N S I S ,

**J U S T I N U S D A V I D E S K L E T T ,**  
 U N T E R L E N N I N G E N S I S ,

M A G I S T E R I I P H I L O S O P H I C I C A N D I D A T I E T S E R E N I S S I M I  
 S T I P E N D I A R I I .

---

**T U B I N G Æ L I T T E R I S S C H R A M M I A N I S .**

---







Q. D. B. V.

S. I.

A nsam huic tractationi academicæ præbuit differ-  
tatio pererudita (a) de modo, quo primæ in Ameri-  
cam transmissæ fuerunt coloniæ , operi historico  
magnæ existimationis inserta , qua Americæ præcipue septen-  
trionali , ex orientalibus Tartariæ sive Kamtschatkæ partibus pri-  
mos illatos fuisse incolas , variis adstruitur argumentis . Hæc  
quidem opinio , quod ingenue confitemur , usque adeo plurimis,  
præsertim sæculi nostri eruditis , arrisit , ut fere omnes alia in cen-  
sum rejectarum abierint . Operæ igitur visum fuit pretium , sen-  
tentiam

A 2

(a) Dissertation sur la maniere dont l'Amérique a été peuplée in , Histoire Universelle depuis le commencement du monde jusqu'à présent traduite de l'anglois d'une société de gens de lettres . Tomo 13 .

tentiam, quam summus olim proposuerat GROTIUS, (b) licet ex parte tantum, adoptare, & primos Americae septentrionalis colonos, ex borealibus Europae nostrae partibus occidentem versus probabiliter profectos fuisse, novis argumentis confirmare. Cum vero temporis & instituti ratio tractationem hanc in integrum volumen excrescere non permittat, missis argumentis quam plurimis GROTIANIS, & responsionibus, quas illis opposuerat JOHANNES DE LAET, (c) ut & alii Viri eruditi, reliqua novis firmare observationibus, & rationes Anglorum, pro Asia septentrionali sive Kamtschatka, militantes sub examen revocare constituimus.

## §. II.

Objectum dissertationis nostrae densis involutum est tenebris, ita ut quæ probabilior dici possit sententia, saltem minores vel numero vel pondere præ se ferat difficultates, quibus tota hæc materia undequaque est circumsepta. Hinc tot doctissimorum Virorum circa illam discrepantes sententiae. Magno numero sunt, qui, Americam antiquis cognitam, & vel ab Ægyptiis, vel a Phœniciis sive Carthaginensibus colonis refertam fuisse contendunt. Loca veterum scriptorum, quibus hæc opinio principaliter est

(b) HUG. GROTIUS de Origine Americanorum. Amstelodami, 1643. 8. & Ejusdem de Origine gentium americanarum dissertatio altera, Parisiis, 1643, 8.

(c) JO. de LAET. Notæ ad differt. HUG. GROTII. Paris 1643. 8. & Ejusd. Responsio ad differt. secundam. H. GROTII, Amstelodami 1644. 8. Vide etiam HORNIUM de originibus gentium Americanarum.

est suffulta, in nota (d) indicantur. Ex his omnibus, si unicum Diodori Siculi locum excipias, reliqui omnes parum ad rem facere videntur, & hujus quoque auctoritas, re curatius perspecta, evanescit. Non tamen possibilitatem navigationum a priscis gentibus ad detegendas novas sedes occidentem versus institutarum, in dubium revocabimus. Lubenter quoque concedimus, cum antiquos per oceanum atlanticum longe lateque navigasse constet, vel unicum in littoribus Americæ factum naufragium, ex quo homines in navigio degentes vivi ad littus evasissent, sufficere potuisse ad Americam, tot incolarum myriadibus, quot, tempore detectionis per Columbum factæ, continuit, per longum temporis tractum, replendam. Possibilitatem hanc, memorandum confirmat exemplum navis anglicæ, anno 1589. in oceano Indico submersæ, ex qua quinque tantum homines, vir unus & quatuor mulieres, ad insulam postea Pines nominatam, vivi perseverunt, quam conjugio inter se inito, mira adeo fœcunditate instruxerunt incolis, ut cum anno 1667. navis batavica ventorum procellis agitata, casu ad insulam appulisset, novorum colonorum numerum ad circiter 11000. excrevisse, stupuerint Batavi. (e) Sed cum non de possibilitate, sed de majore probabilitatis gradu, qua ratione America primos receperit incolas, hic

A 3

loci

- (d) Loca communiter huc referri solita, extant apud STRABONEM Lib. 7. p. 209. edit. Cesauboni. AELIANUM VAR. Histor. l. 3. c. 18. DIODORUM SICULUM Biblioth. Histor. l 5. c. 19. SENECAM TRAGICUM in Medea Act. 3. v. 375. PLATONEM in Timo. ARISTOTELEM in libro ipsi vulgo adscripto de mirabil. auctoritat Arist. oper. Tomo I. PAUSANIAM in Atticis.

- (e) Vide Allgemeine Geschichte der Länder und Völker von America, Tom. I. pag. 544. & 545.

Loci sit quæstio, criteria, ex quibus potior ille probabilitatis gra-  
dus elici possit, veniunt eruenda, quibus semel positis, major  
quæstioni veritatis lux affundi poterit.

## §. III.

Cardines, circa quos hæc præcipue volutatur quæstio, ad quin-  
que potissimum referri possunt capita. 1.) Ad affinitatem consue-  
tudinum gentis alicujus veteribus cognitæ cum moribus Ameri-  
canorum. 2.) Ad cognitionem linguae, vel ad minimum vo-  
cum quarundam ejusdem significationis, tam in lingua gentis an-  
tiquitus cognitæ, quam in lingua Americanorum. 3.) Ad sicutum,  
positionem, distantiamque regionum, ex quibus migratio gentium  
in Americam facta fuisse creditur. 4.) Ad genium populi, quem  
in Americam tracieisse confirmant, an scilicet is cum longitudi-  
nive sive modo itineris in novum orbem suscepti conveniat: &  
denique 5.) Ad monumenta historica cuiusvis generis, quæstio-  
nem illustrantia, quæ licet alias probationem omnium nobilissi-  
mam constituant; nostra tamen in controversia valde exiguum  
præstant usum. Hisce quinque fundamentis anglica dissertatio  
innitur, cuius vestigia prementes, quale sit argumenti cuiusvis  
pondus, & in quantum pro tuenda sententia nostra pugnet, com-  
monstrabimus.

## § IV.

Antequam vero hasce suscipiamus discussiones, ex re visum  
fuit, hypothesin nostram in'pleno exhibere contextu, quam in  
sequentibus paragraphis, argumentis stabilire annitemur. Senten-  
tia nostra hæc est. Populi, quorum posteri Scandinaviam &  
borea-

boreales Europæ tractus hodienum possident, earum regionum primi non fuerunt incolæ. Gothi, seu quoconque alio nomine Scandinavorum præcavos insignire velis, non ita magno intervallo ante tempus nativitatis Christi, Othino duce, in Scandinaviam pervenerunt, quam tamen longe anterioribus sœculis habitatam fuisse constat. Veteris igitur regionis coloni, quorum reliquiae & vestigia in intimis septentrionis penetralibus adhuc dum supersunt, a novis advenis sedibus pulsæ, arcton versus & oceanum cesserunt, & verisimiliter colonias in Grönlandiam transmiserunt; ex qua, uti novæ geographicæ detections (f) ostendunt, per fretum, quod communiter nomine *freti Davis* designatur, neque longe distans neque difficilis ad terram firmam Americæ septentrionalis patet aditus, in qua ipsa gentes reperiuntur ad hunc usque diem Grönlandiis, corporis habitu & morum conformitate adeo similes, ut communem originem utriusque populo jure meritoque possis tribuere, ita ut autor in nota citatus pag. 145. seqq. Grönlandos atque populos, qui Esquimaux vocantur, & in terra firma Americæ ad sinum Hudson & fretum Davis sedes occupant, unum eundemque populum esse gravibus ex rationibus affirmaverit.

## § V.

Ante omnia igitur commonstrandum est, septentrionalium Europæ regionum primævos incolas, a Gothorum gente sedibus pulsos.

(f) Vide inter alios, tabulam geographicam, operi cui titulus est, *Reise nach Hudsons Meerbusen beschrieben von Heinrich Ellis/ aus dem Englischen übersetzt/ subjunctam, & pag. 71. ejusdem libri, ubi refertur, Galium quendam cognomine Groiseleiz e Canada profectum, itinere terrestri ad portum Nelson, in sinu Hudson positum pervenisse,*

pulsos probabiliter versus oceanum occidentalem cessisse , inde Grönlandiam atque Americana littora petitum . Testimonia scriptorum positiva hic queruntur in cassum . Omnia nituntur conjecturis atque probabilitatibus , quæ simul sumtæ , magnum verosimilitudinis gradum poterunt constituere . Quæ de gentium Scandinaviae nostræ antiquitate tradiderunt SAXO GRAMMATICUS , OLAUS RUDBECKIUS , NICOLAUS PETREJUS , CLAUDIUS CHRISTOPHORUS LYSCHANDER , nostra quidem ætate a cunctis fere eruditis ad fabulas & commenta referuntur . Sola æra , quam islandicam vocant , omnibus hodienum arridet , quæ non longe ultra tempus nativitatis Christi ascendit , & ab Odini per scythicas terras & mare balticum in scandinaviam transitu & immigratione , seriem rerum orditur . (g) Tempus , quod inter hanc epocham & seculum XI. æræ nostræ , intercedit , facis historicæ , quæ illi lucem affundat , magnopere quidem indiget ; cum & hic fabularum haud exiguis numerus veritatibus sit immixtus ; & difficultates augeat immatura , si dicere fas est , virorum alias magnorum eruditio , qui dum singula facta cum fide scriptorum græcorum & romanorum conciliare , gravissima quæque ex affinitate saepius valde remota vocum quarundam hujus vel illius linguae decidere , denique non hypotheses suas rebus , sed res ipsas hypothesis suis accommodare studuerunt , universam hanc materiam arctissimis intexuerunt tricis . Unicum tantum proferam exemplum scilicet OLAI RUDBECKII Atlanticam , librum , si ulla unquam , vasta eruditione refertum , qui tamen in detegendis

(g) Vid. THORMODI TORFÆI , Universæ septentrionis Antiquitates , seriem Dynastiarum & Regum Daniae exhibentes . ARNGRIMUM JONAM in specimine historicæ Islandicæ .

tegendi rerum septentrionalium genuinis originibus, valde exiguum præstat usum.

### §. VI.

ODINUS, (b) cuius sub auspiciis Gothi in regiones baltico mari adjacentes penetraverunt, harum gentium antiquæ religio-  
nis fundator, post obitum in Deorum numerum relatus, certe epochæ nativitatis Christi integro seculo non est anterior. In eo enim omnes conveniunt, Odinum Upsaliensem à Pompejo Magno, vel saltem a Mithridate Eupatore, ex intimis scythicæ penetralibus cum populo suo (*Aetas Eddæ* vocant, circa quam denominationem ingens est sententiarum conflictus) (i) pulsum, omnes baltici maris oras undequaque circumsedisse. Huic contradicere videtur celebris illa e Chersoneso Cimbrica facta gen-  
tium migratio, quæ memorandum illud Cimbrorum cum Romanis bellum peperit, quæque certe tempus, quod adventui Odi-  
ni assignatur, antecedit. Efficit autem cognatio vocis CIM-  
BER cum verbo Gothicó KIMPER s. KIEMPAR, quod Athletam s. bellatorem designat, nomina propria Cimborum apud scri-  
ptores Romanos conservata, quæ omnia manifeste sunt originis  
B Gotbi-

(b) Quæ de pluribus Odiniis sive Othinis communiter traduntur, & nostræ sen-  
tentiae repugnare videntur, solide refutata vide in *Commentariis Academiae*  
*scientiarum Imperialis Petropolitanae* Tom. 8. p. 333. squ. ubi omnia quæ de  
Odini narrantur, ad solum Odinum Upsilonsem referri debere, ostenditur.

(i) Vide THEOPHILUM SIEGFR. BAYERUM in conversionibus rer.  
Scythic, temporibus Mithridatis Magni & paulo post Mithridatem pag.  
338. squ.

*Gotbicæ seu Teutonicæ, & multæ aliæ rationes, quas forsitan alio tempore peculiari dissertatione confutabimus, ut quamplurimi eruditi, hosce Cimbros, cum Odini & ejus comitum prosapia, quæ quinque circiter secula post expeditionem Cimbricam, Romanorum provincias invasit, unam eandemque gentem origine-tenus fuisse, contendant. Quæ si vera est opinio, tunc male se res habet cum fide *Sagarum* sive traditionum Islandicarum, & Norvacicarum, & cum commentariis, quibus illas illustrarunt TORFÆUS, VERELIUS, PERINGSKIOLD, aliqui, quos secuti sumus, auctores. Sed non est cur vietas demus manus. Quod conformitatem attinet vocum sive linguæ, ipsis verbis respondebimus doctissimi *Islandi OLAI VERELII* in *Historia Gotbrici.* & *Hrolfi* p. 2. *Vocabatur hæc lingua Asamal hoc est Asiaticorum sermo: sed a priori non nisi dialecto differebat: utriusque enim communis mater Scythica fuit, si quid autem peculiare posterior hæc babebat, vulgo id minus receptum Scaldis tantum frequentabatur novo hoc lepore carmina sua condire studentibus, quæ propterea minus facilia intelle-ctu, nostro træserit ævo cum vulgaris pariter ac poëtica dictio ve-tus in usu esse desit. Sunt enim Germani quibus Cimbros cum Tacito annumeramus, Scythica pariter Colonia, sed longissimo temporis tractu ante emigrationem Odini & Asarum, sedibus, quas occupavit, inventa. Hinc morum quædam affinitas, non major illa, quæ inter Europæ nostræ gentes ejusdem quidem originis, sed per plurimum seculorum spatium separatas, adhuc-dum subsistit. Statuimus igitur, post Cimbrorum emigratio-nem Asas, Gothos seu Getas, illorum sedes occupasse, & reli-quias gentis Cimbricæ versus meridionalia maris baltici lit-tora depulsas tandem confœderationi & nacioni Saxonice se-**

se

se immiscuisse. Cum hac nostra sententia conspirat sane locus TACITI *de situ moribus & populis Germaniae* cap. 37. (k) cui adjicimus, antiquissimos rerum borealium scriptores, SAXONEM GRAMMATICUM, qui sua e monumentis & carminibus veterum de promisit, & SNORRONEM STURLESONIUM omnium septentrionalium historicorum nobilissimum, nec memoriam, nec nomen Cimmeriorum, sive Cimbrorum, vel apud Danos vel apud Islandos, invenire unquam potuisse. Id quod cum magna & vana quidem indignatione animadvertisit JOHANNES LYSANDER *Antiquitatum Danicarum sermone* 8. p. 69. Et hæc quidem sufficere possunt, ad explicandum primum hypotheseos nostræ membrum. Nunc supereft, ut præter Cimbros, & alios in Scandinavia extitisse commonstremus populos, qui ab Odino vieti & paulatim sedibus pulsi, trajectum in Americam septentrionalem suscipere potuerunt atque re ipsa suscepserunt.

## §. VII.

Et hi quidem populi, nostra quidem sententia sunt *Fenni,*  
B 2 *Vani,*

(k) Verba TACITI hæc sunt: *Eundem Germania sinum proximi oceano Cimbrι tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens, veterisque fama late vestigia manent, utraque ripa castra & spatha, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis & iam magni exercitus fidem.* Hinc patet, Tacitum, de populis sua ætate Chersonesum Cimbricam & insulas maris baltici incolentibus, non loqui. Locus enim quem Cimbris assignat, Holsatiae potius quam Chersoneso convenit; & quomodo Tacitus gentem numero hominum validissimam, sicut non multo post tempora ipsius comparuit, uti parvam civitatem, cuius antiquum splendorem, tantum ex reliquis & magnitudine castrorum possis dimetiri, sine absurditate potuisset depingere.

*Vani, Væni*, vel ut rem præsenti accommodemus statui, nationes, quarum posteri Lapponiam, Finnmarkiam & vicinas mari albo regiones, ad hodierna usque incolunt tempora. Gens tantum a Gothorum descendantibus, lingua, corporis habitu, moribus & vieti discepit, quantum ad Gronlandos & populos, quos Esquimos vocant, de quibus §. 4. mentionem fecimus, accedit, uti infra commonstrabitur. Summopere igitur verisimile videatur, Odinum sive ejus posterios hosce Fennos paulatim in boreales maxime Scandinaviae partes depulisse, unde haud longo neque difficulti transitu in Gronlandiam, inde vero minori adhuc opera per fretum Davis in Americam trajicere potuerunt. Et horum Vœnorum, itidemque belli ab ipsis contra Odinum gesti, mentionem expressam invenimus factam a Snorrone Sturlesonio in Historiis Norvagicis, licet THEOPH. SIG. BAYERUS (<sup>l</sup>) vir in hoc studiorum genere nemini secundus, longe a nostra discedentem interpretationem verborum SNORRONIS proposuerit. Quæstio hæc est. Scripsit STURLESONIUS circiter A. C. 1240. quo tempore aliqua jam, licet tenuis litterarum latinarum eruditio in Norvagia extitit. Dum igitur Sagas suas cum autoritate ARRÆ Polybistoris, conciliare studet Snorro eo tempore quo notiones geographicæ erant imperfectissimæ; dum terminos, quibus suo ævo Norvegi diversas orbis tum cogniti plagas insigniebant, descriptionibus geographicis latinorum, in quantum ipsi erant perspectæ, accommodare vano ausu nititur; in descriptione itineris ab Odino in septentrionem suscepti, adeo infelicem egit geographum, ut qui locum hunc illustrare crediderunt viri eruditissimi.

(<sup>l</sup>) In Conversi, rer. Scythicarum. pag. 334. f. 10v.

tissimi, BRYNOLFUS SUENONIUS, NICOLAUS KEDERUS, STURNHILLIUS, VERELIUS, PERINGSKIOLD, quin & ipse BAYERUS oleum & operam perdidisse videantur. Ubi enim hic Aethiopiam ponit, ille provincias transoxanas querit, tertius Thraciam assignat, & sic porro. Nostrarum non est partium tantas componere lites. Hoc unicum observabimus, semper aliquid veteris famæ, etiam in corruptis ejusmodi locis, subodorari debere, quæ certe ratio tot viros eruditissimos movit, ut in explorandam & explicandam SNORRONIS sententiam, tantam impenderent operam. Si igitur, missis omnibus circa geographicas quæstiones controversis, narrationem SNORRONIS huc pertinentem, in sensu plane simplici accipere velis; tum certe nostrum systema circa priscas Fennorum sedes, & circa bellum ab Odino contra ipsos gestum, in ipsa contineri, cuivis erit manifestum. Verba STURLESONII ab ipso BAYERO (m) neutiquam nobiscum sentiente, in latinum versa, producenda veniunt. *Odinus longinquis peregrinationibus belisque nobilitatus, multas victorias reportavit, multa regna sibi subjecit, ex quo fama fuit, ubi pugnaret ab ea parte stare victoriam.* TANDEM exercitum suum eduxit (HENDUR VOENUM) CONTRA VENOS, qui regni sui fines valide tutati sunt. *Ab ortu solis æstivis usque ad occasum solis hyberni, longissima montium juga protenduntur, disternantia SUIDIOD MIKLU a ceteris regnis. Snorronem hsc a præpostero polyhistoriæ studio abreptum fuisse, & æque vana, quam reliqua Geographica, quæ circa iter Odini profert, narrasse credidit BAYERUS: Ipsi enim Suidiod Miklu est Scythia magna; Venos autem, quos hodiernos Fennos esse non abnuit, tanquam fœderaciam*

B 3

racam

(m) BAYER, in *Convers. rer. Scytiæ*, pag. 338.

ratam gentem cum Odino advenisse ex regionibus intra Tanain & Caucasum sitis sibi persuadet. Quæ si vera sunt, tunc mehercle locus Snorronis exiguum præstabit usum. Sed quod pace tanti Viri dictum sit, opiniones Bayerianæ de significatione vocis sui  
 DIOID MIKLII & de origine *Venorū* sive *Budinorum* non majorem merentur fidem, quam quæ JOHANNES PERINGSKIOLD ad *Theodorici Regis vitam de Sarcklandia*, quam Carthaginem Africæ fuisse credidit, in medium protulit. Hanc sententiam vel potius conjecturam confutavit BAYERUS, quod eum in finem hic loci considerandum venit, quia Vir doctissimus (n) cum per vocem Sarcklandiæ Sericam sive Imperium Chinensium denotari primo loco afferuerit, mox mirabili atque temerario ausu, Sarklandiam illam, in quam *Ingonis Manheimiæ regis filius*, Snorrone teste, profectionem instituit maritimam, Americam nostram fuisse, & Normannos omnium Europæorum primos in hanc mundi partem navigasse, contendit. Hoc paradoxon, nullis prorsus argumentis suffultum, & quod ex verbis Autoris citati, quo-cunque modo illa sumantur, neutquam posse erui confidimus, ob auctoritatem BAYERI, tantæ molis visum est Autori dissertationis Anglicæ, (o) ut sententiam suam, usque dum res curatus perpendatur, de tota hac quæstione suspendere consultum duxerit. Sed ut ad rem ipsam regrediamur, explicatio nostra, loci Snorronis hæc est. STURLESONIUS bellum Odini cum Vœnis, non solum ut rem, historiam septentrionalem specialiter & præ omni-

(n) BAYER, in *Convers. rer. Scythic.* pag. 537.

(o) *Histoire universelle depuis le commencement du monde jusqu'à présent Tome treizième* pag. 141.

omnibus aliis ejusdem expeditionibus tangentem, consideravit; sed etiam hoc bellum ultimis Odini temporibus contigisse credidit; id quod tam totus loci citati contextus, quam vox *tan-dem*, quæ alias nulla prorsus gauderet significatione, manifeste indicant. Atqui Odinus, uti omnes historiarum septentrionalium periti uno ore clamant, extremos vitæ suæ annos in Uplandia transgit. Ergo hostes, quos ultimo loco debellavit, in proximitate Sueciæ erunt quærendi, & nullus ad Caucasum & Tanain datur regressus. Si Vœnos cum BAYERO, ex illa regione cum ipso Odino septentrionem immigrasse, & postea cum eodem bella geruisse, credideris, tum verba SNORRONIS: *qui regni sui fines valide tutati sunt, omni sensu carent; Vocabula enim: regni, finium, quos valide tutati sunt incolæ,* certe antiquam possessionem gentis in hac mundi plaga positæ, neutiquam vero seditionem turbæ cujusdam barbaræ simul cum Odino in has regiones profectæ, indicant. Ubinam igitur hi Vœni seu Fenni, quærendi erunt? Certe cum PLINIO (*p*) non sentimus, qui sedes illis Livoniæ, Curlandiam & magnam Prussiæ partem adsignavit. Propius ad sententiam nostram accedit TACITUS DE GERM. c. 46. (*q*)

qui

(*p*) Hist. natur. I. 4. c. 13. qui postquam de Scandinavia, quam incomparabile magnitudinis Insulam vocat, locutus est, hæc addit: *Nee minor opinione Feningia est. Quidam hanc habitari ad vistulam usque fluvium, a Sarmatis, Venetis, Scyris, Hirris tradunt.*

(*q*) Venedi, multum ex moribus (Sarmatarum) traxerunt, nam quicquid inter Petras, Fenosque, Silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. - Fenis mira feritas, fœda paupertas, non arma, non equi, non penates; Victui herba, vestitiu pelles, cubile humus. Sola in Sagittis spes, quas, inopia ferri, osibus, aperant. Idemque venatus viros pariter ac feminas alit. Passim enim somitantur partimque præda petunt.

qui non solum Fennos in iisdem fere tractibus, ubi illos nos ponimus, collocat; verum etiam morum hujus gentis conformitatem, cum Lapponibus nostri ævi, vel & cum Americæ septentrionalis incolis, expressis verbis commonstrat. VOENI itaque sive FENNI, uti Snorro indigitat, ab ortu solis astivii, usque ad occasum solis biberni, per longissima montium juga, a Suidiod Miklu determinati fuerunt. Hoc, nostra quidem sententia, significat, Fennos, per Alpes illas boreales, quæ a mari albo per universam Scandinaviam ad oceanum usque se extendunt, a Suecia divisos fuisse. Per Suidiod Miklu enim non Scythiam magnam, sed Sueciam magnam vel proprie sic dictam a Norvagia & a regno Gothia distinctam a Snorronе designari, omnino credimus. Frustra enim positionem montium ab illo descriptorum ubivis alibi quæsiveris; Hi igitur Fenni, quorum mores, vestigia atque nomen adhucdum supersunt, ab Odino vel ab ejus posteris successu temporis versus polum arcticum, vel ut rectius loquamur, versus promontorium, quod vocatur Nord-Kap. depresso, inde facillimo negotio, in Spitsbergiam, Gronlandiam, atque ex hac per fretum Davis & sinum Hudson in terram firmam Americæ septentrionalis, transire potuerunt, imo, uti jam supra docuimus, probabiliter transiverunt. Epochæ, qua hanc transmigrationem factam fuisse conjicimus, sufficit ad rationem reddendam ingentis numeri incolarum, per Americam tempore Columbi diffusorum. Distantia locorum, seu potius illorum proximitas pro nostro systemate manifeste pugnat. Jam restat, ut absolute historica dissertationis nostræ parte, rationes aliarum sententiarum in contrarias partes abeuntium sub incudem revocemus.

§. VIII.

## § VIII.

Regredimur jam ad examen characterum supra §. III. assignatorum. Primo loco affinitas consuetudinum gentis alicujus veteribus cognitæ cum moribus Americanorum , venit consideranda : Probe autem est tenendum , affinitatem morum , ut exinde aliquid pro communi gentium quarundam origine concludi queat, ita comparatam esse debere , ut non in quibusdam tertiiis , sed in omnibus fere , præsertim in iis, quæ victum , arma , regiminis constitutionem , habitationes , sacra , de vitiis virtutibusque sententias , attingunt , una gens proxime ad alteram accedit . Quæ si negligitur cautela , tum certe omnes omnium barbararum gentium mores , secundum primævam institutionem societatum , considerati , aliquam inter se habent similitudinem , quæ tamen ad unam ab altera derivandam , neutiquam sufficit . Hinc evenit , ut vir summa eruditio ne præditus (r) eum in errorem inciderit , ut Americanos a Pelasgis , antiquissimis Græciæ incolis : (quos , per Asiam minorem , provincias Caucasum adjacentes , scythiam denique magnam , eadem via , qua ipsos scytharum posteros in Americam trajecisse existimat auctor sçpe memoratae Dissertationis Anglicæ :) oriundos fuisse credit : Quæ enim ad fulciendam suam sententiam in medium protulit Vir doctissimus , ita quidem sunt compara ta , ut sine respectu ad Pelagos , fere omnibus antiquitus cognitis barbaris gentibus eodem jure possint tribui . Dissertatione Anglica parum huic argumento insistit ; cum Tartarorum mores , cum indole gentium Americanarum , difficillime conciliari pos-

C

fe

(r) P. Lafitau , *Mœurs des sauvages Américains comparées aux mœurs des premiers temps* , Paris 2. Vol. 2, 1724.

se, sit in aprico, uti recte observavit summus *Grotius* in dissertationibus supra citatis. Nos quidem, convenientiam, quam jam jam descripsimus, omnino inter Grönlandos sive Fennos nostros, & populos Americanos terram firmam insidentes & nomine *Esquimaux* insignitos, intercedere statuimus. Communis enim utriusque genti victus, vestitus, corporis habitus, arma, venationis piscandique modus, uti descriptio populi Exquimaux, ab *Henrico Ellis* (s) novissime propalata, manifeste indicat. Gravissimum quidem, contra consequentiam, quam exinde petimus, quod ingenue fatemur, objectionis appetit momentum: sed cum hoc universæ dissertationi nostræ minitetur ruinam, in fine hujus tractationis, pro omni, quo gaudere potest, robore, exponendum, nostræque in contrariam partem militantes rationes in lucem erunt proferendæ. Unicum tantum hoc loco monebimus, conformitatem morum Americanarum gentium, in genere spectatarum, cum moribus cuiusvis gentis cognitæ, non eam esse, ex qua originem communem utriusque gentis, elicere possis.

### § IX.

Idem fere dicendum erit de cognitione linguarum, vel ad minimum vocum quarundam ejusdem significationis, in lingua tam gentis antiquitus cognitæ, quam in lingua Americanorum occurrentium. Et hoc quidem præcipuum quibusdam argumentum ad pervestigandas gentium origines visum, & judicio exemploque gravissimorum virorum laudatum est. Verum serio cavadum erit, ne vocabulis, soni vicinitate sibi propinquis, aut miserum

(s) Reise nach Hudsons Meerbusen. p. 138. 147. it. p. 256. 258.

miserum in modum huc detortis, nimium confisi, post inventas paucas voces æquisonas, rem totam confessam esse, arbitremur. Pereruditus Anglicæ dissertationis auctor in eo totus est, ut nervum hujus argumenti stringat. (r) In *Apalacis s. Messageticis scytharum, Apalacos & Apalchenos Americanorum reperiri credit.* *Massachusetae & Masatecae* ipsi pariter sunt *Messageticæ* veterum; *Tam-bi* vero *populus Peruvianus, Tabieni*, de quibus mentio fit apud PTOLOMÆUM geographum. Sed hæc ab HORNIO jam in medium prolata, non ita quidem comparata sunt, ut seriam mereantur refutationem. Verum & præter *Scythes*, etiam *Japonenses* in America invenit. Nomen enim *Motezuma* postremi Mexicanorum Imperatoris, cum voce *Motazajuma*, quem dignitatis titulum, teste HORNIO, Japonensium Imperator sibi vindicat, manifeste convenit, & ipsa vox *Chiapanecæ* (nomen gentis Americanæ in tractu *Nicaragua* positæ;) cum denominatione *Japonensium* conspirat. Sed a titulo dignitatis Imperatoris Japonensis, ad nomen proprium, ab uno tantum Mexicano imperatore usurpatum, nihil potest concludi; & Autor dissertationis ignorare haud debuisset, vocem *Japon* penes Europæos usu receptam, apud incolas regni ita denominati, nihil prorsus significare; apud quos nomen regionis & populi audit *Nippon*, cum vocabulo *Chiapanecæ* nullo unquam consilio conciliandum. (u) Ut rem uno comprehendamus verbo, si vel omnes voces æquisonas a *P. Lafitau* in libro, quem supra laudavimus, commemoratas, in unum congefferis,

C 2

non

(r) In Dissert, sæpe cit. p. 123, squ.

(u) Confer. Histoire naturelle civile &amp; ecclæsiastique de l'empire du Japon par Engelbert Kämpfer &amp; Histoire du Japon par le P. de Charlevoix,

non major linguarum apparebit convenientia , quam illa , verbi gratia , quæ inter linguam Græcam & linguam turcicam intercedit ; ita ut exinde plane nihil possit concludi : quapropter & nos eo lubentius ab omni comparatione & collatione , linguae Gronlan- dicæ cum linguis Americanorum abstinebimus.

### §. X.

Situs , positio , distantia regionum , ex quibus migratio in Americam facta fuisse creditur , longe gravius , præcedentibus duobus , constituant argumentum , adeoque utriusque partis rationes in extenso erunt exponendæ . Secundum sententiam illorum , qui immigrationem ex orientalibus Tartariæ vel Kamtschatkæ partibus factam fuisse contendunt , hæ regiones , Americæ septentrionali olim fuerunt contiguæ , & nunc per oceanum insulis refertum a California separantur . Distantiam , inter promontorum longissime orientem versus positum (a Navarcha Bebring sub auspiciis Augustissimæ Russorum Imperatricis detectum) & Californiam , triginta fere gradus explere credidit summus EULERUS ; doctissimus vero Anglus DOBBS longe majorem distantiam intercedere arbitratus est . (x) Res plane decisa erit , si fidem adhibere velimus , operi noviter in lucem edito , (y) de quo varias ob causas

(x) Confer , Transact Philosoph , pour les mois de Janvier & fevrier 1747. pag. 421-424. Transact Philos. pour les mois de Mars , Avril & May. 1747. p. 471-476.

(y) Nouvelles Cartes des decouvertes de l'amiral de Fonte & autres navigateurs Espagnols , Portugais , Anglois , Hollandois , François & Russes , dans les mers septen-

causas judicium nostrum suspendimus. Secundum eum auctorem, distantia ab extremis Kamtschatkæ partibus, in Japoniam 800. ad minimum leucadum, quarum 20. unum constituant gradum, esse debet; & ex Japonia in Californiam 1200. ejusdem mensuræ, secundum ipsum, numerantur leucades. Porro navis russica, quæ auctoris fratrem, cui hæc erat commissa detectio, vehebat, post sex hebdomadum navigationem, tandem terram attigit, quæ a promontorio, quod Cap blanc vocatur, omnium in California cognitorum, longius versus Septentrimonem pariter & Occidentem porrecto, quaduordecim adhuc gradibus distabat. Quæ si ita se habent, quis Tartaros seu Kamtschatkæ incolas ejusdem navigationis unquam capaces fuisse crediderit. Sed si vel distantiam a Celeberrimo EULERO assignatam inter Asiam & Californiam existere statuas; tum certe eadem difficultas adhucdum superest, quæ eo major videri debet rerum navalium peritis, quod omnes expeditiones, ad detegenda maria, inter Asiam & Americam Septentrionalem posita, a diversis Europæ Gentibus per peritos navigatores institutæ, ad hunc usque diem omni plane ca-ruerint successu. Longe aliter vero se res habet, si hypothesin nostram spectes: a promontorio enim, quod Nord-Kap vocatur, in Spitsbergiam, & inde in Gronlandiam non longior est via, quam in itinere ex Norvagia in Islandiam instituto; Et Gronlan-dia a terra firma septentrionalis Americæ unice per fretum Davis

C 3

sepa-

Septentrionales, avec leur explication, qui comprend l'histoire des voyages, tant par terre que par mer, dans la partie septentrionale de la terre, les routes de navigation, les extraits des journaux de marine, les observations astronomiques &c. par Mr. de l'Isle. à Paris, 1753, 4to.

separatur. Difficultates horum itinerum non sunt istiusmodi, ut cum navibus, quibus utuntur promontorii Nord. Kap accolæ, & cum eorum in navigando peritia, felicem exitum non possis conciliare.

## §. XI.

Genius quoque populi, de quo, an in Americam trajecerit, disputatur, an scilicet is cum longitudine sive modo itineris, in novum orbem suscepit, conveniat, erit considerandus. Et omnis, circa hoc objectum, disquisitio tantum nostræ favet sententiaz, quantum contrariæ adversatur. Quis enim non videt, populum per totum fere vitæ tempus Oceano semper incumbentem, ex solo pescatu vitæ suæ necessitates trahentem, sine omni timore cum navigiis suis in altum mare procul a littoribus provehentem, quam populum certe Gronlandi nostri constituant, multo aptiorrem videri ad profecionem, in Americam suscipiendam, Tataris atque Kamtschatkianis gentibus, ab Oceano atque navigatione abhorrentibus, & qui nec sua probe norunt littora.

## §. XII.

Quod denique monumenta historica cujusvis generis, quæstionem hanc illustrantia, attinet: quæ ad fulciendam sententiam nostram ex scriptoribus rerum septentrionalium eruere potuimus, jam in antecedentibus exposita fuerunt. Hæc si forte quibusdam non satis stringentia apparebunt, ex altera parte observandum est, argumenta historica, pro tuenda quacunque alia, circa hanc quæstionem, hypothesi, proferri solita, adhuc minorem speciem præse gerere. Ut enim Pelasgos P. LAFITAU plane silentio transeamus; patet hoc ex argumentis vel potius conjecturis historicis, ab Auctore Dissertationis Anglicæ prolatis, quas vel indicasse est re-

refutasse. (z) Disquisitionem illarum, ne nimis prolixii simus,  
conflictui reservamus publico.

### §. XIII.

Et sic quidem instituto nostro satisfecisse nobis videremur, nisi summi ponderis restaret difficultas, quæ, qua ratione possit solvi, vel saltim imminui, vix appareret. Habitent enim populi Esquimaux in terra firma Americæ! sint una eademque gens cum Gronlandis! Descendant utriusque a Vœnis sive Fennis nostris! Quid exinde sequitur? Sequitur Fennorum progeniem, incertum quo tempore, in Americam pervenisse; Neutquam vero cæteros Americanos, quibuscum comparati Esquimaux vix exiguum manum constituant, ab his descendere. Contrarium enim gravissimæ probant rationes. A reliquis Americanis distinguuntur Esquimaux albedine corporis, capillorum forma, barba &c. summa inter utrosque intercedit inimicitia. Esquimaux a reliquis Americanis velut extranei & alienigenæ considerantur. (aa) Hæc quidem difficultas objectum dissertationis nostræ proprie non tangit, cum primam immigrationem per viam brevissimam atque facilissimam factam fuisse, ipsa rei suadeat natura: nos autem hanc viam facillimam atque brevissimam a nostris Gronlandis vere usurpatam fuisse commonstraverimus. Non tamen omnem spem dejicimus, ostendendi, non obstantibus hisce objectionibus, vel universos

Ame-

(z) Confer. Histoire Universelle Tom, XIII, p. 122 - 128. ubi præcipue notandum est, Auctorem, facilitatem immigrationis in Americam per Gronlandiam & fretum Davis facienda lubenter agnosceret; sed quia modum non invenit, Scythas suos per hanc viam deducendi, Norvegi autem GROTII, ut & nostri Fenni ipsi minus placuerint; Kamtschatkam atque iter per tam late porrectum Oceanum necessario debuit amplecti.

(aa) Vid. Ellis Reise nach Hudsons Meerbusen loc. cit. Item Allgemeine Geschichte der Länder und Völker von America, Tom, II, p. 427.

Americæ colonos a Fennis nostris descendere potuisse. Si formam habitumque corporis Americanorum , pro regula in dijudicanda illorum origine velis assumere, tunc frustra in universo terrarum orbe, gentem aliquam, ab Americanis, hisce in rebus tanto cœlo non differentem, quæsiveris. Et hæc differentia ea quidem est, ut WHISTONO (bb) ansam præbuerit somniandi, Americanos non a Noacho, sed a Lamecho originem trahere. Sed a multis jam eruditis observatum fuit, differentias has in forma corporis (cum Americanos Asiae & Europæ incolis omnino corpore & colore similes nasci constet) non ab ipsa natura, sed ab educatione, moribus, & variis accidentalibus causis provenire. Quod autem, diversam fere in omnibus vivendi rationem, & mutua inter Esquimaux & reliquos Americanos odia ; attinet, ejus rei facile reddi potest ratio, si regionum, quas utrique habitant, habetur respectus. Illi enim in littoribus & terris, Gronlandia fere in omnibus similibus, remanentes, mores vietumque patrium retinuerunt; hi vero, successu temporum per vastissimas silvas diffusi, ex gente e pescatoribus constante, in gentem ex venatoribus compositam conversi, necessario, antiqua, novis institutis & consuetudinibus, commutare debuerunt. Facile foret ex historia omnis ævi , exempla depromere, mutationum ejusmodi, ubi gentes, quarum communem originem nemo in dubium revocat , paribus ex causis , moribus , & studiis erga se invicem , & que longe ac Esquimaux & reliqui Americani , in diversa abierunt.

Sed pro instituti nostri ratione hæc jam sufficient.

(bb) WHISTONS, Exposit. of the curse upon Cain and Lamech, Shewing that the present Africans and Indians are their Posterity, London 1725.



ne X2379933

